

www.e-rara.ch

Caroli Sigonii historiarum de occidentali imperio libri XX. ...

Sigonio, Carlo

Francofurti, 1593

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RI 49 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25378>

Liber XII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XII.

VALENTINIANVS PLACIDIÆ F. AVG. 10



HONORIVM igitur tertius Valentinianus est consequutus. Ut autem Occidentale Imperium Honorio regnante domesticis seditionum motibus, & externis armorum incurſibus, tutoribus, & ducibus regiis in excidium reip. conspirantibus, & barbaris acriore, quàm antè, impetu irrumptentibus, est tentatum; sic Valentiniano, & Placidia matre rerum potentibus, quorum in altero ætas, & praua educatio, in altera sexus, & nimia in re administranda remissio improbata est, eisdem turbantibus, ac sævientibus barbaris, magis, magisq; concussum est. Quod deinceps ostendere, quàm diligentissime, distinctissimeq; poterimus, in maxima veterum huc pertinentium commentariorum inopia contendemus. 20

PLACIDIA Augusta Valentiniano filio ad Augustalem dignitatem euecto, Imperij procurationem adepta res omnes, dum vixit, pro arbitrio administravit. itaq; iræ indulgens ex superiore bello conceptæ Rauennam urbem diripiendam militibus dedit, ob id ciuibus vehementer infensa, quòd eos Ioanni tyranno studuisse comperiebat. Castinum autem in exilium pepulit, quòd eius præcipue opibus Ioannem ad dominatum animum intendisse putabat. Aëtio vero non solum veniam dedit, sed etiam Comitatus dignitatē impertiit, quòd Hunnos sine tumultu extra Italiam dimisisset. neq; enim erat obscurum, quantum ille alere incendium potuisset, si eorum uti opera perrexisset. Rauennæ autem sedem ita constituit, ut plurimum momenti ad augendam urbis eius dignitatē attulerit, quæ ab hoc tempore post per multos annos sedes Imperij fuit. Hos vero motus ubi in Gallia rex Gotthorum Theodoricus audiuit, rebus nouandis opportunos ratus rupto fœdere bellum Romanis mouit. quippe ex finibus egressus cum propinqua loca omnia populatus est, tum in primis Archillas oppidum oppugnauit. Ex altera parte Castinus exul rabie efferatus animum ad perturbandam domesticis armis remp. contulit. 426 itaq; Theodosio XI, & Valentiniano iterum consulibus, magna collecta militum manu in Africam transit, ac Bonifacium Africæ Comitem, virtute eo tempore, atque auctoritate florentem prælio laceſſiuit, ipsum, si conatus procederet, inde exigere, atq; Africam sibi adiungere gestiens. verum collatis signis, fortuna cæptis aduersante, victus ab eo recessit. Hanc rem Bonifacius ipse ad S. Augustinum Hipponensem episcopum scripsit, cum eo doloris acerbitem sui communicans. extant vtriusq; nomine hac de re scriptæ epistolæ. Hac re nunciata, Aëtius Bonifacij gloriæ inuidens, ut ipsum aulica machinatione subuerteret, apud Placidiam accusauit, quòd tyrannidem in Africa moliretur, eamq; ad euocandum illum ex Africa incitauit. contra vero litteras ad Bonifacium, tanquam amici fungēs officio, misit, monens, ipsum apud Augustam fuisse perfidiæ postulatum, atq; ut Romam eo nomine euocetur, futurum. proinde caueret, ne accederet, si capiti suo cõsulere vellet. Igitur Placidia fallacibus Aëtij verbis inducta, Bonifacium accersiuit. ille vero in timorem salutis adductus, licet omnino innocēs, fideli, ut putabat, Aëtij consilio parendum sibi esse duxit, neq; Africa pedem extulit. Quamobrè Placidia eo magis fidem eius suspectã habuit, & dignū hominē, qui bello vindicaretur, existimauit. Aëtium vero pro sincero, ac fideli amico habens, Comitē destinauit aduersus Theodoricum regem Archillas in Gallia obsidentem. Ille vero in Galliam profectus, Auito

Auito Auerno, qui cum Constantio fuerat, sibi ascito, Theodoricum inuasit, ac prælio facto discedere ab oppidi obsidione coëgit. Sidonius, cum Auitum laudaret, Aëtium nihil sine Auito, Auitum multa sine Aëtio gessisse aduersus Vittungos, (sic enim Visgotthos nominat,) scribit. Eodem tempore in eadem Gallia Patroclus Arelatensis episcopus à tribuno quodam barbaro multis vulneribus est confectus, occulto Felicis magistri militum, vt creditum est vulgo, mandato. nam eius impulsu Titus etiam diaconus, vir sanctus, Romæ pecunias pauperibus distribuens interfectus est. Hierio inde, & Ardabure consulibus, Placidia eiusdem Felicis consilium, auctoritatemq; sequuta, bellum in Africam aduersus Bonifacium intulit, Mauortio, Galbione, & Sinoce ducibus declaratis. Bonifacius, cum se Carthagine contineret, neq; sui copiam faceret, ibi acriter est obsessus. in ea obsidione Sinocis dolo Mauortius, & Galbio ceciderunt. inde nudatis insidiis Sinoc à Bonifacio est occisus. Eo bello barbari à Romanis auxilio aduocati, rei naualis vsum, cuius plane rudes erant, Romanorum periculo in eorum post exitium didicerunt. Duces suos cæcos vbi Placidia comperit, confestim belli summam Comiti Sigeuulti commisit, ac Bonifacium maiore, quàm antè, armorum mole inuasit. Hæc res Bonifacium æquis se viribus cum Imperatore configere posse diffusum coëgit, vt auxilia externa respiceret. Gunderico Vandalorum in Hispania regi priore anno vita functo successerant filij Guntharius puer ex legitimo matrimonio natus, & Genserius ex concubina susceptus. hos igitur à Gotthis, Romanisq; crebris bellorū contentionibus fatigatos opportune Bonifacius cum adisset, pollicitus est, si traicere in Africam, & pro se arma capere aduersus Romanos vellent, se illis Mauritaniam permitturum. Qua conditione libenter accepta, Guntharius, & Genserius cum Bonifacio Vandalos, & Alanos fretum Herculeum traiecerunt, ac nullo negotio Mauritaniam iuris sui fecerunt, anno nono decimo, postquam ex Scythia cesserāt. Saluianus eos non Romanorum timore, sed Dei voluntate Hispania decessisse significauit, cum scripsit: *Numquid Vandali abducti à solo patrio degere intra Gallias non potuerunt, aut ne degerēt, quem timuerunt, cum illesi à nobis vsq; ad tempus illud cuncta vastauerint? sed esto. intra Gallias formidabant. quid in Hispania, vbi exercitus nostros etiam bellando contriuerant, numquid constare, aut permanere metuebant iam victores, iamq; triumphantes, qui intelligerent, sibi Romanæ reip. vires etiam cum Gotthorum auxiliis pares esse non posse?* Genserius autem, vt scribit Victor, in Africam, Gunthario interim extincto, egressus, vt famam gentis suæ auget omnis multitudinis numerū iniit. inuentaq; sunt vtriusque sexus, atque omnis ætatis hominum octuaginta millia. cum autem pacatam, speciosamq; nactus esset prouinciam, omnia populatione, incendio, cædibusque permiscuit. quòd vero perfidia Arriana corruptus esset, ac proinde Catholicis Consubstantiale sentientibus infestissimus, in ecclesias, basilicas, cœmeteria, & monasteria sæuire auaritia pariter, ac crudelitate inflammatus inceperat. Etenim priuatorum ædes, quorum ianuas clausas offendit, magno impetu deturbauit. episcopos suppliciiis exquisitis ad tradendum ecclesiarum aurum adegit. & quo plus dabant, eo acerbioribus tormentis, vt plus dare cogentur, affecit. aliis palorum vectibus ora aperientes, foetidum cœnum ob confessionem pecuniæ ingesserunt. nonnullos in frontibus, & tibiis neruis remugientibus torquendo cruciarūt. plerisq; aquam marinam, aliis acetum, liquamenq; ori apposita sine misericordia porrexerunt. onera ingentia tanquam camelis imposuerunt, & stimulis ferreis ad ambulandum adegerunt. quorum nonnulli sub fascibus misere expirauere, senio confectis, ac propter caniciem venerandis nulla misericordia impertita. pueri ab vberibus rapti ad terram elisi, aut medij secti. tecta incensa, aut solo æquata. quas vero vrbes propter munitionum firmitatem adire non potuerunt, nouo mali genere affligerunt. quippe, interfectis in circuitu innumerabilibus turbis, tetro putrefactorum cadauerum foetore necarunt eos, qui intus erant. In Gallia Aëtius cum Theodorico rege bellare perrexit. nam & Turones per Maiorianum præfectum defendit, vt Sidonius in Panegyrico scripsit, & commisso cum Theodorico prælio, fortiter adeo, feliciterq; pugnavit, vt eum pacem postulare coegerit. atque ita secundo bello Gotthico finem imposuit. Felicè inde, & Tauro consulibus, Bo

427

428

nifacius assumptis ex Mauritania Vandalis Sigeuulti summa vi in se ruenti occurrit, atque omni mole, ne Africa eiiceretur, contendit. Cum autem Bonifacij pernicioſa reip. virtus affiduis hominū maledictis laceraretur, Bonifacij amici ipſum in Placidia gratiam reſtituere ſunt anniſi. Quippe mirantes, hominem alioqui officij, pietatiſq; pleniffimum de fide tam temere deceſſiſſe, voluntate Placidia Carthaginem adierunt, ac de re cum eo colloquuti ſunt. Ille ſe excuſare, & iuſti doloris ſui teſtes ipſas Aëtij litteras proferre. Quas vbi legerunt, rationem ſe reconciliandæ inueniſſe gratiæ rati, conſeſtim cum iis Romam ad Placidiam redierunt. ac Bonifacium non ſua, ſed Aëtij culpa lapſum eſſe docuerunt. Illa animo perturbata, dolore tamen ſuppreſſo, nihil cum Aëtio expoſtulauit, ne ſummum ducem exercitum habentē, & rem præclare gèrentem alieno tempore irritaret. verum cum Bonifacij amicis omnia contulit, atque Aëtij fraudem deteſtata, iurauit, ſe æquam Bonifacio futuram, ſi ille pro re Romana ſtare in animum induxiſſet, & barbaros, quos acciuerat, ex Africa dimiſiſſet. Bonifacius ab amicis de fraude Aëtij, & animo Placidia erga ſe certior factus, ſumma voluntate ſe facturum, quod illa poſtulabat, promiſit, atque ita ab armis reip. inferendis diſceſſit, animumque ad Vandalos ex Africa dimittendos conuertit. Quietis in Gallia Gotthis, Franci nouam irruptionem fecerunt. Clodio nanque rex, qui trans Rhenum in Thuringia caſtrum Diſpargum tenebat, præmiſſis exploratoribus cum omnia tuta reperiſſet, in Belgicam ſecundam inuaſit, ac Camaracum urbem adortus, Romanis, qui urbem custodiebant, oppreſſis, urbe potitus eſt. inde, exigua ibi mora tracta, vſque ad Suminam amnem omnia, in primisq; oppidum Attrebatum occupauit, vt Gregorius ſcripſit. Clodionem vero vna cum Maioriano occurrens Aëtius repulit, quod ex Panegyrico poſt ipſi Maioriano Auguſto à Sidonio dicto elicitur. in quo vxor Aëtij ipſum his verſibus Aëtium alloquitur. (neq; enim in tantis anguſtiis verſus quoq; ad reparandam vetuſtatem repudiandi ſunt :)

poſt tempore paruo

*Pugnasti pariter Francis, qua Cloio patentes
Attrebatum terras peruaserat. hinc coeuntes
Claudebant anguſta vias, arcuq; ſubactum
Vicium Helenam flumenq; ſimul ſub tramine longo
Artus ſuppoſitus trabibus tranſmiſerat agger.
Illic te poſito pugnabat ponte ſub ipſo
Maioranus eques.*

30

Ex hoc factum eſt, vt Proſper, & Marcellinus notarint, Aetium his conſulibus, caſſis Francis, partem Gallia Rheno proximam, quam illi occupauerant, recepſiſſe. Eodem anno, vt ſcribit Socrates, Burgundiones, qui in Germania remanſerant, quotidianis impreſſionibus ab Hunnis exagitati, poſt agros ſuos incenſos, hominesq; cædè occiſos, ceteris deſperatis auxiliis, ad Chriſtum Deum opem implorantes confugerunt. atq; epifcopo ex Gallia repetito, ſe ſacro tingi lauacro poſtularunt. Is, cum ſeptem dies ieiunii, præſcripſiſſet, atque in fide illos erudiuiſſet, octauo demum eos abluir, & cum pace dimiſit. Quo facto, ingenti inde fiducia in Hunnos reuerſi, cum Optarum regem eorum cibo nimio ſumpto ſe dirupiſſe, atque Hunnos ſine duce eſſe comperiſſent, facto impetu tanta felicitate pugnarunt, vt Hunnorum decem millia à tribus ſint Burgundionum millibus occiſione occiſa. Ab illo tempore Burgundiones Chriſtum ardenti ſtudio coluerunt. Optaro Hunnorū rege vita functo, regnum ad filios Mundzucci fratris Attilam, Bledamq; delatum eſt. quorū alter Attila poſt potètia, atq; immanitate ſua ſuperiorū omnem memoriam temporū ſuperauit, ac toti Occidenti formidabilis ſuprà omnes barbaros fuit. Quieſcebat à priſtinis ſeditionū procellis Eccleſia, veteribus hæreſib⁹, qua Conciliorum, qua principum intercedènte auctoritate magna ex parte ſopitis, cum repente noua alia, & quidem turpiſſima oborta Orientales eccleſias perturbauit. ea vero à Neſtorio aduerſus Chriſtū inducta eo, quo referemus, modo ſublata eſt. Cōſtantinopoli Attico epifcopo quadriennio antè, nunc vero, qui in eius locū ſucceſſerat, Siſinio vita functo, Neſtorius ptesbyter Germanicia oriundus, Antiochia

monachus

monachus accersitur, homo voce canora, & lingua diferta ad docendum populum in primis accommodatus. Is III Idus Aprilis episcopus consecratus, cum orationem apud Theodosium Augustum haberet, clarum elatioris ingenij sui specimen dedit, cum inter cetera dixit: Mihi Imperator terram purgatam hæreticis tribue, & ego tibi cælum retribuam. tu mihi in profligandis hæreticis subueni, & ego tibi in profligandis Persis auxilium feram. quas voces, vt à leui animo, & ventoso pectore profectas, boni omnes merito horrerunt. Quinto inde post die eodem Arrianorum, in quâ illi furtim orabant, deturbari iussit, atque eo factò Arrianos eo furoris, ac væcordiæ adduxit, vt eam ipsi vltro subiectis facibus inflammarent. quo incendio cum vicina ædificia essent comprehensa, magnus in vrbe tumultus est concitatus. Inde Nouatianos aggressus, quòd Paulus eorum episcopus magnam modo pietatis laudem esset adeptus, vix ab Imperatore retentus est. Itaq; vt ipse eius voluntati seruiret, edictum ad Florentium præfectum prætorio III Kal. Iunias dedit, in hæc verba: *Hæreticorum ita est reprimenda insania, vt quas ab orthodoxis tenent ubicunq; ecclesias, statim Catholica Ecclesia reddendas intelligant. quia ferri non potest, vt qui nec proprias habere debuerant, ab orthodoxis possessas, aut conditas, suaq; temeritate occupatas ultra detineant.* inde nominatim, quid aduersus singulos hæreticos statuendum sit, aperit. Post aliquot inde dies, qui se veterum hæreticorum acerbum adeo vindicem gesserat, idem nouam hæresim, eamq; vt dixi, indignissimam intulit: & quidem hoc modo; Anastasius presbyter, qui cum ipso Antiochia venerat, & summa cum eo familiaritate coniunctus erat, iussu eius quodam die agens ad populum dixit: Nemo Mariam matrem Dei appellet, quia Maria homo erat, neq; Deus nasci ex homine potest. Quæ verba cū clerus, populusq; iniquis auribus excepissent, vt qui longe aliter à prioribus episcopis didicissent, valde animo conturbati sunt. Nestorius autem, re cognita, non solum hominem nõ increpuit, vt quidem oportuit, nec sanam de Christo Deo doctrinam subiecit, sed illius quoq; sententiam, vt piã, sacris tueri auctoritatibus institit. ac sæpe inde verbis hac de re ad populum factis, semper Mariam Christi, non Dei genitricem vocauit, atq; ita vocandam esse contendit. nam Christum ex Maria hominem tantum, non Deum esse natum, ipsumq; diuinitatem meritis esse adeptum; Dei verbum non sumpsisse carnem ex sanguine matris, sed alium esse filium, & verbũ Dei, alium Christum, qui filius esset adoptiuus, & Dei gratia factus. Florentio inde, & Dionysio consulibus, Placidia Fe-
419
licem Patricium, & Aëtium magistrum militum fecit. Bonifacius autem recuperare Valentiniano Mauritaniam cupiens, Gensericum primum, ingentis vi pecuniæ oblata, emittere prouincia voluit, deinde pecuniam non accipientem bello se persequuturum ostendit. atque acceptis copiis, quæ sibi Roma, & Constantinopoli mittebantur, quarum Aspar erat magister, aduersus eum processit. Hunc Gensericum, vt qui per hæc tempora fuerit clarissimus, Iornandes descripsit, virum statura mediocrem, equi casu claudicantem, animo profundum, sermone rarum, luxuriæ contemptorem, ira turbidum, habendi cupidum, ad sollicitandas gentes prouidentissimum, semina contentionum iacere, odia concitare paratum. Cum hoc igitur tam strenuo duce Bonifacius, & Aspar prælium in Mauritania commiserunt, sed acie victi, intra fines suos se referre coacti sunt. captiui multi ex Romanis facti; inter ceteros Marcianus is, qui post Theodosium Orientali Imperio præfuit, cum Aspare duce, in Africam processisset. accidit autẽ, vt, prælio confecto, Gensericus captiuos in vnum locum compulerit, quo prædam ex specula prospicere posset. ceteris autem iussu eius solutis, Marcianum animaduertit somnum aperto cælo capientem, atq; aquilam aliunde aduolantem expansis alis ipsum ab solis ardore turgentem. Quod vt vidit, mirabundus continuo, quod futurum erat, coniecit, & accitum ad se hominem libertate donauit sacramento fidei obligatum, vt ad Imperium euectus sibi, ac Vandalis esset amicus. Hac victoria parta, Gensericus è Mauritania in Numidiam, reliquamq; Africam sese cum exercitu intulit, atq; Bonifacio resistere nequeunte, eam vastare instituit. siquidem oppida ipsa excidit, agrestes alios cede strauit, alios fuga dispersit. qui vero in syluas, aut speluncas, aut ad alias munitiones profugerant, partim ferro necauit, partim necessariis præsidii,

vt fame contabescerent, spoliavit. Ecclesiæ porro aut crematæ, aut sacerdotibus, & ministris exhaustæ. sacræ virgines, & continentes viri aut dissipati, aut tormentis cruciati, aut nece, aut seruitute affecti, vsque adeo vt nō essent, qui hymnos, laudesque Dei in ecclesiis solitas canerent. demum res diuina ita extincta est, vt frustra quærentur, qui sacramenta aut poscerent, aut traderent, superstitionibus sacerdotibus ad eam inopiam rerum necessariarum adductis, vt cibum quotidianum corrogarent. Quæ mala cum S. Augustinus videret, vehementer animo cruciatus est, quod quæ necessaria erant, omnia suppeditare non poterat, ac simul multarum animarum perniciem lamentatus est. Itaq; scribendi munus, in quo assidue desudabat, intermisit. Id quod Victor his verbis prodidit: *Genferico Hipponem obsidente, Augustini flumen illud eloquentiæ, quod vbertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est.* Cum autem tres essent ecclesiæ, ac ciuitates adhuc ab hostili furore intactæ Carthaginiensis, Hipponensis, & Cirthenis, quod ad mare locatæ operosiores expugnationē haberent, ecce derepente Genfericus Augusto mense exercitum ad oppidum Hipponis adduxit, atq; arcta obsidione admota, statim vsus maritimi auxiliij dempsit. atq; Bonifacio acriter urbem tuente, eam obsidionem in multos menses extraxit. Cum autem Augustinus, adhibitis familiaribus suis, interim Deum assidue oraret, vt aut urbē periculis obsidionis eximeret, aut seruis suis ad suam perferendam voluntatem animos adderet, aut certe ipsum ad semet de hoc seculo euocaret; factū est, vt tertio illius obsidionis mense graui febre tentatus sit. ex qua cum diutius in lecto decumbere cogeretur, aliquot immundis spiritibus, & morbis aliis affectos, cum ad se opem imploratum venissent, sanauit. consultus est etiam ab Honorato Thabennensi episcopo, num episcopi tantis se subducere calamitatibus deberent, cum scriberet: *Si in ecclesiis persistendum est, quid simus nobis, vel populo profuturi, non video, nisi vt ante oculos nostros viri cadant, femine constuprentur, incendantur ecclesiæ, nos sub tormentis deficiamus, cum de nobis queritur, quod non habemus.* cui ita ille respondit, vt rationem fugæ vniuersam in tantis malis, patefacta doctrina euangelica, demonstrarit. In Oriente vero Nestorio hæresim tueri suam non desinente, ac commentarios suæ opinionis in vulgus edente, Cyrillus Alexandriæ episcopus, vir eruditionis, atque innocentia singularis, magno dolore, perinde ac debuit, tulit, Christi diuinitatem Concilio Nicæno defensam nouis opinionibus in controuersiam reuocari, atque ipsi, synodo habita, communionem interdicerere voluit. deinde hominem subleuandum potius, quàm affligendum existimans, litteras ad eum misit hortans, vt errorem illum abiiceret, & saniora consilia sequeretur. neque quidquam profecit. Interim vero Dorotheus episcopus, cum forte Constantinopoli versaretur, in synaxi ecclesiæ, præsentē Nestorio, clara voce ex folio dixit: *Siquis Mariam Deiparam appellarit, anathema sit.* Quem populus ingenti clamore excepit, significans, se verba eius horrere, neq; cum eo, qui huius sententiæ esset, inire communionem velle. Itaque maxima pars populi, monachi, & eorum archimandritæ, & pleriq; senatorum ab illius congressu se remouerunt. Cum autem, Nestorianis concionibus in Ægyptum perlatis, res turbari, atque homines fidei causa inter se tumultus ciere, Cyrillus comperisset, metuens, ne ea labes contempta latius serperet, epistolam ad omnia Ægypti monasteria scripsit, nutantesq; in fide confirmare contendit. quæ mox Constantinopolim delata, multis saluti fuit. ex quo Nestorius multo magis Cyrillo succensuit. Quare cognita, Cyrillus iterum ad eum scripsit, præter cetera inquiring, se Cælestino pontifice Rom. iubente, ceterisque episcopis, qui ei in Concilio affuissent, postulantibus cogi inuestigare, num commentarij illi, qui ad se perlatis essent, ab illo, an ab alio quopiam emanassent. cui Nestorius à presbytero Lamphone rogatus nō sine aliqua animi acerbitate respondit. Cum autem Orientales episcopi, & præcipue Macedonici in Nestorij sententiam irent, ac Nestorius ea re inflatus Expositiones opinionis suæ ad Cælestinum, eadem confirmans, misisset, tum Cyrillus quattuor episcopos Alexandriam aduocauit, atq; ex eorum auctoritate de his rebus omnibus Cælestinum admonuit, & quid sibi opus factū esset, consuluit. neque enim se Nestorium ferre posse, nec ramentum illius iniussu communionem illi interdicerere voluisse. quamobrem rogare eum,

ut suam super hac re sententiam ad Orientales, & Macedonicos episcopos scribat, simulque epistolas Nestorij ad se missas, & Expositiones eius adiunxit, atque omnia per Posidonium diaconum Romam perferenda, & si Nestorium sua pontifici tradidisse comperisset, offerenda curauit. Cum autem Oriens Nestoriana labe inficitur, infectusque indies vehementius perturbatur, Agricola Seueriani filius Britanniam in alio prope terrarum orbe sitam Pelagiana hæresi maculauit. Britanni vero, cum neque peruersam doctrinam, qua gratia Christi peruertebatur, suscipere vellent, neque fallacias contrariæ opinionis refutare verbis valerent, auxilium à Gallicanis episcopis postularunt. Illi conuocati ex Cælestini pontificis auctoritate, Germanum Antisiodorenses, & Lupum Tricassinum episcopos sanctitate, atque eruditione præstantes ad id muneris delegerunt. Qui, teste Beda, iussis eorum obediens continuo iter ingressi sunt, atque ad portum profecti traiiciendi causam soluerunt. Dum autem cursum prospere tenent, ecce derepente summam cæli, marisque tranquillitatem sæua adeo ventorum, vndarumque tempestas inuoluit, ut parum abesset, quin naus obrueretur. Tum S. Germanus à ceteris metu trepidantibus excitatus, Christi nomen implorat, atque, aspergine aquæ accepto, in nomine S. Trinitatis ventos, fluctusque perfurentes compescit. quo facto, secundo rursus aspirante vento, reliquum nauigationis confectum est. Sacerdotes benigno incolarum occursum excepti, statim populum illum opinione, prædicatione, ac virtutibus impleuerunt. cum immundos spiritus ex obsessis corporibus pellerent, ipsos audierunt, aperte concitatam à se tempestatem, & illa conflata pericula confitentes. Cum autem plerique ciuium rectæ assensu doctrinæ fuissent, tandem qui in pertinacia manserant, bene culti, ac comitati processere in medium. & cum ad insignis colloquij spectaculum omnis ætatis, sexus, gradusque homines confluxissent, à sacerdotibus copiam disputandi obtinuerunt. demum autem, cum nuda, & inania verba loquuti, ac certis subinde diuinæ scripturæ testimoniis conuicti respondere non possent, se errasse confessi sunt. Ita Concilium ingenti populi clamore dimissum. Interim Germanus, admirandis multis operibus editis, sese populo Britanno venerabilem reddidit. cum enim puella luminibus capta ipsi esset oblata, Pelagianis eiusmodi curationem à se amolientibus, Germanus, inuocata Trinitate, capsulam Sanctorum reliquiis refertam oculis puellæ admouit, ac statim, tenebris cæcitatatis expulsis, illuminauit. Progressus inde ad S. Albani sepulchrum, illo aperiri iussu, reliquias sanctorum apostolorum, & martyrum secum allatas ibi reposuit, ac cruentum Albani martyris puluerem inde abstulit. quo facto, ingens ad Deum conuersa est multitudo. cum porro in hospitio, in quo ipse ægrotrans iacebat, graue casu excitatum esset incendium, illud vehementius homines mouit, quod quæ acris hominum sedulitas custodiuerat, omnia vis ignis exhaustit. quæ vero vir sanctus tetigit, ipsa omnino flamma non læsit. Eo primum tempore Britannia à Romanis, ut dixi, dimissa, à veteribus agitari hostibus est incepta. Hi fuerunt Picti, qui assumptis secum ex Hybernia Scotis, cum Britanniam Romano præsidio, & propria iuuentute spoliata audirent, iunctis viribus partem aquilonarem insulæ inuaserunt. Quorum aduentu oppressi Britanni reliquis abscissis auxiliis, legatos ad Aetium in Galliam opem implorantes miserunt, atque ab eo vetus legionis auxilium impetrarunt. Ceterum cum in castra compulsi vires suas hostibus impares iudicarent, Sanctorum, qui tum in insula erant, præsidium inuocarunt. qui aduenientes tantum alacritatis omnibus iniecerunt, ut maximi accessisse vires exercitus crederent. Hostes autem, cum per dies Quadragesimæ exercitum saluari lauacro à sacerdotibus accipiendo intentum audissent, locum sibi eos aggrediendi tanquam inermes datum rati, post Pascha in aciem processerunt. Dux erat Britannis Germanus. is quosdam in insidiis collocatos monuit, ut vocem suam attenderent, atque editam ingenti clamore repeterent. vbi vero hostes aduentare ab exploratoribus didicit, clara voce ter Alleluia inclamauit. quam cum occulta cohors excepisset, tantum hostibus terroris incussit, ut abiectis armis in fugam se tradiderint. Hostibus profectis simul Romana legio, ac sancti antistites domos suas repetiuerunt. Britanni muro ex cespite facto se aduersus incursum ho-

stium muniuere. is murus in media insula duos inter se diuersos matris sinus com-
 43^o misit. Theodosio inde XIII, & Valentiniano III consulibus, qui fuit annus à Chri-
 sto nato supra tricesimum quadringentesimus, Picti, & Scoti, vbi legionem Roma-
 nam Britannia excessisse, insulamq; à solis teneri Britannis cognouere, iterum ad
 eandem infesti se contulere, ac cæde, & populatione omnia miscuere. Qua re au-
 dita Aëtius iterum summis Britannorum precibus ad tuendam insulam excitatus,
 legionem remisit. quæ prælio factò hostes iterum expulit. monitosq; , vt posthac
 suis se viribus tuerentur, quòd difficultate tam longinquæ expeditionis eis adesse
 non posset, reliquit. Tum à Britannis murus firmior, quippe ex lapide eo, quo di-
 ximus, loco constructus est. Et hoc anno Gensericus in Africa Hipponis obsidio- 10
 nem magna animi pertinacia, atque armorum mole continuauit. cuius obsidionis
 mense tertiodecimo Augustinus siue morbi pertinacia, siue doloris acerbitate vi-
 ctus tandem v Kal. Septembris migravit ad cælos libris Iuliani hæretici Pelagiani
 respondens, & gloriose, vt inquit Prosper, in defensione Christianæ gratiæ perse-
 uerans. Eo mortuo sequenti mense Hippon in ditionem Vandalorum adducta vl-
 tima malorum omnium, quæ hostilis inferre rabies posset, est passa. Romæ Cæle-
 stinus, Cyrilli, ac Nestorij litteris acceptis, actisq; perspectis, Concilium episcopo-
 rum euestigio aduocauit, atque ex eorum sententia IIII Idus Augusti ad Nesto-
 rium scripsit, vt intra decem dies ad sanitatem rediret, alioqui se illi communione
 sciret interdicturum. postridie vero ad Cyrillum, vt partes suas susciperet, & Nesto- 20
 rium, nisi intra dies decem resipuisset, communione repelleret, inquit: *Nostra
 sedis auctoritate ascita, nostraq; vice, & loco cum potestate vsus acriter eiusmodi sententiam
 exequeris, vt nisi Nestorius decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die nume-
 randorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis detestetur, ilico sanctitas tua illi eccle-
 siæ prospiciat.* Item ad clerum, & populum Constantinopolitanum: *Quia in re tam
 ardua nostra presentia propemodum necessaria videbatur, neque tamen propter interiectum
 mare, longiq; itineris interualla commode id satis fieri queat. fratri nostro Cyrillo nostrum mu-
 nus, nostramq; personam imposuimus, & sententiæ in ipsum lata formulam ad vos misimus.*
 Scripsit etiam ad Ioannem episcopum Antiochenum, atque alios in eandem sen-
 tentiam. His litteris acceptis, Cyrillus tertiam, vt ipse inquit, epistolam ex synodi 30
 Alexandrinæ sententia ad Nestorium misit, mandans, nomine Cælestini, vt intra
 decem dies abiuraret, sin minus, se communione spoliatum, sciret. præscripsit au-
 tem quæ illi confitenda, & quæ abiuranda essent. fuere autem duodecim capita
 Anathematismi vocata. quin etiam clerum Constantinopolis monuit, vt nisi Ne-
 storius saniora sensisset, ab eius se congressione secerneret, & eis vteretur, quos il-
 le anathemati subiecisset, ac loco mouisset. Quibus mandatis neglectis, Nestorius
 ad Theodosium sese contulit, eumq; , vt litteras ad Cyrillum mitteret, impulit, gra-
 ues, ac minarum plenas, nisi secum consensisset. Quibus Cyrillus haudquaquam
 exterritus libellos ad Theodosium, Eudociam, & Pulcheriam misit, quibus fidem
 suam rectam, Nestorij vero nefandam ostendit. Interim, cum monachi Catholici 40
 fœde à Nestorio vexarentur, Basilus archimandrita, vir sanctus, rem nõ ferendam
 ratus, ad Theodosium detulit, atque, vt Concilium huius componendæ contro-
 uersia causa indiceret, postulauit. Cuius verbis permotus Theodosius, mense No-
 uembri ex Cælestini auctoritate litteras ad omnes metropolitanos misit, edicens,
 vt ad proximam Pentecosten Ephesi omnes adessent, vt huic cõtrouersia modum
 imponerent; adiiciens, se excusatum neminem vel apud Deum, vel apud homi-
 nes habiturum, qui ad tempus non affuisset. neque enim bonam conscientiam de-
 clarare, qui ad sacrum conuentum vocati legitime non accurrant. ad Cyrillum au-
 tem scripsit partim increpans, quòd separatim ad se, & ad reginas de fide scripsisset;
 43^I partim mandans, vt Ephesi ad diem metropolitanis indictam adesset. Basso inde, 50
 Antiochoq; consulibus, Gensericus Hippone potitus, ad alias Africa partes arma
 circumtulit, & , populatis late agris, rem varie cum Bonifacio gessit, ea in Catholi-
 cos supplicia exercere insistens, quæ ab initio significauimus. Constantinopoli an-
 nona, atque incendio laboratum est. ex vtroq; incommodo ingens tumultus exar-
 sit. Barbari in vrbe educati odio religionis hostiliter ecclesiam inuaserunt, dumq;
 faces

faces ad inflammandum altare iaciunt, ipsi se inter se diuino iudicio confecerunt: Theodosius autem, cum ad Horrea publica leuandæ inopiæ causâ procederet, à populo esuriente lapidibus appetitus est. Interim Cælestinus Romæ negotium ecclesiæ magna solertia administravit. Nam & Nestorij hæresim ex Concilij sententia condemnauit, quiq; cum eo sentirent, communionem remouit. & Arcadium, ac Proiectum episcopos, ac Philippum presbyterum ad Concilium Ephesinum legatos cum mandatis, atq; hac sententia destinauit. Quin etiam Palladium episcopum instituit, eumq; ad Scotos nuper Christianis sacris imbutos misit. vt merito Prosper in libro contra Collatorem sic scripserit: *Cælestinus Pelagianò morbo Britannias liberauit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes etiam ab illo secreto seclust Oceani, & ordinato Scotis episcopo, dum Romanam insulam studet seruare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.* Quæ dum ille agit, episcopi Ephesum conuenere. Nestorius, quod nō longe Constantinopoli ab Epheso abesset, paulo post dies Resurrectionis cum Græciæ episcopis primus aduenit. Quem consequutus Cyrillus & ipse cū episcopis Ægyptiis ante diem Pentecostes accessit. Quarto inde post Pentecostem die Iuuenalis Hierosolymitanus cū Palæstinæ episcopis præsto fuit. Capreolus Carthaginis archiepiscopus, cum episcopos mittere suos vellet, propter bellum, quo Africa vrebatur, abstinuit, sed Besulam diaconum cum litteris sese purgantibus misit. Ioannem Antiochenum Cyrillus, qui partes Cælestini agebat, per dies quindecim expectauit. monitus inde ab episcopis Apameno, & Hieropolitano, ne Ioannem expectando Concilium traheret, postridie, qui fuit x Kal. Iulias, episcopos in ædem, quæ S. Mariæ dicebatur, aduocauit. Ibi cum omnes, excepto Nestorio, confedissent, Petrus presbyter Alexandrinus, & notariorum primicerius dixit: Cum Nestorius nonnullas Expositiones ediderit, quæ seditionem in Ecclesia concitarint, ac Cyrillus vnā, atque alteram super ea re epistolam scripserit, quibus ille ita responderit, vt opinionem suam tutatus sit; cumq; Cyrillus, cognito, Nestorium libellos, & Expositiones suas Romam misisse, & ipse Pasidonium cum suis ad Cælestinum destinari, ac quæ oportebat, Cælestinus rescripserit, ac propterea iussu Theodosij Concilium aduocatum sit, significamus vobis, nos eiusmodi scripta in manibus habere, eaq; vobis recitare paratos esse. Quem Iuuenalis Hierosolymitanus excipiens, Legatur, inquit, edictum Imperatorum ad omnes metropolitanos de conueniēdo missum. Immo vero, Firmus Cæsariensis subiecit, Memnon huius vrbs episcopus exponat, quot elapsi sint dies, postquam nos in hanc urbem conuenimus. Tum Cyrillus: Sancta synodus hucusque expectauit episcoporum, qui venturi sperabantur, aduentum. quia vero multi in aduersam valetudinem inciderunt, videtur de iis, quæ ad fidem constituendam pertinent, esse agendum. proinde illa scripta, quæ præsentis negotij sunt, recitentur. Cum autem Nestorij præsentia desideraretur, episcopi quidam rettulere, se illum domi pridie conuenisse, atque, vt hoc die adesset, monuisse, illum vero se consideraturum, & si oportere iudicasset, venturum, respondisse. Quare audita, episcopi alij ad eum citandum sunt missi. qui reuerſi renunciarunt, se post multā ad fores moram responsum à clerico rettulisse, Nestorium, vbi episcopi omnes cōuenissent, propius accessurum. Quin etiam alij, qui tertio euocarent, profecti renunciarunt, se insolentius ab armatis eius satellitibus habitos nullum responsum elicere potuisse. Quibus auditis, Iuuenalis, Quoniam, satellitibus, inquit, aditū prohibentibus, quarta euocari citatione non potest, iam quæ fidem attingunt, aggrediamur. Itaq; res hoc ordine acta est. primum fidei symbolum recitatum est Nicæno Concilio cōstitutum, tum prima epistola Cyrilli ad Nestorium, eaq; cum Nicæno symbolo cōgruere iudicata est. inde respōsio Nestorij, quæ, vt ab eo dissentiens, digna anathemate visa est. tum Cælestini vnæ, & Cyrilli alteræ ad Nestorium litteræ lectæ, eaq; ambæ recte, atq; ex fide scriptæ sunt iudicatæ. Acacius inde, & Theodorus episcopi pro testimonio dixerunt, se ante triduum audisse, Nestorium in congressu episcoporum dicentem, Deum bimestrē, aut trimestrē appellari nō oportere. Proditæ inde sunt patrū super hac quæstione sententiæ, tum Expositiones Nestorij lōge ab his alienæ. Quibus reb. confectis, episcoporum amplius ducentorum consensu decretū est aduersus Nestorium,

vnam esse Christi, & Dei personam. duas vero eiusdem naturas sine vlla confusione, ac diuisione inter se vnitas; vnum rursus, eundemq; Deum simul esse, ac sacram virginem Mariam vere, proprièque Deiparam esse. Inde sententia in Nestorium hæc est pronunciata: *Cum præter alia reuerendissimus Nestorius neque vocationi nostræ paruerit, neque sanctissimos episcopos à nobis missos admiserit, necessario eò descendimus, vt de impietate eius inquireremus. Et quoniam ex epistolis, & scriptis eius, quæ lecta sunt, & ex verbis, quibus in hac vrbe est vsus, & testium dictis, quæ audiimus, impiè eum & sentire, & docere deprehendimus, necessitate nobis à legibus, & sanctissimi patris Cælestini episcopi Rom. epistola imposita, cum multis lacrymis ad hanc sententiam venimus. Qui igitur ab eo maledictis appetitus est, Dominus noster Iesus Christus per præsentem sanctam synodum decreuit, Nestorium à dignitate episcopali, & omni sacerdotali conuentu esse remouendū.* Dimisso inde sub noctem Concilio, patres ad tecta sua se receperunt, prælucentibus funalibus, ac multis cum lætitia prosequentibus. postridie sententia per publicos præcones enunciata, & foribus ædis affixa, atque ad ipsum, & ad clerum Constantinopolitanum, & Imperatorem Theodosium missa. Vice simo inde die post Pentecostem, qui fuit vi Kal. Iulias, Ioannes Antiochenus aduenit, ac, nondum puluere pedum excusso, conuentum episcoporum suorum in diuersorio habuit. Ibi Candidianus Comes à Theodosio, vt tumultum in Concilio coereret, iam pridem missus dixit, se optasse, coactæ synodo litteras Imperatorum reddere; verum, cum ante quinque dies, se repugnante, synodus haberetur, se sacram Imperatorum recitandam præbuisse, atque eos, ne quid præcipitanter agerent, monuisse. atque illos, episcopis Nestorianis exactis, festinanter omnia perfecisse. quibus dictis sacram recitauit. Quibus de rebus, licet falsis, Ioannes accensus, ex synodi suæ sententia Cyrillo, & Memnoni dignitatem, Concilio vniuerso communionē ademit. Theodosius autem Cyri episcopus duodecim capita à Cyrillo abiuranda proposita oppugnauit. atque hæc omnia acta Ioannes ad Theodosium misit, petens, vt Concilium Chalcedonem, aut Nicomediam transferretur, & tres episcopi ex quauis provincia eò tantum admitterentur. Interim legati Cælestini aduersa nauigatione fatigati venerunt. vi Idus Iulias, episcopis in Memnonis basilica confidentibus, iniierunt, ac Cælestini litteras reddiderunt, quas Siricius Romanæ ecclesiæ notarius primum latine scriptas, deinde græce conuersas recitauit, in hanc sententiam: se illos legatos mittere, vt Concilio interessent, atque illius decreta sancirent. Inde postularunt, vt quæ aduersus Nestorium acta essent, exponerentur, eaq; audita sine vlla hæsitacione firmarunt. Concilium inde Theodosium de legatorum aduentu, actorum comprobatione, & Nestorij damnatione admonuit, ac simul, vt sibi abeundi, & Constantinopolitanis noui creandi episcopi copia fieret, flagitauit. Cyrillus autem, & Memnon, quos Ioannes exauctorauerat, libellis suis oblati Concilium obsecrarunt, vt, antequam discederent, causam suam cognoscerent, ac suæ innocentia adessent. quorum preces iustas esse Concilium statuens, xvi Kal. Augusti ter Ioannem ad reddendam actorum suorum rationem citauit. atque, vbi non affuit, & ipsum, & qui cum eo conspirauerant, dignitate, & communionem multauit. Cyrillum vero, & Memnonem vinculo, quo illigati videri poterant, soluit, legatis Cælestini omnia suo suffragio confirmantibus. atque his de rebus omnibus Cælestinum edocuit. Interim Nestoriani, qui erant Constantinopoli, cum sententiam Concilij aduersus Nestorium cognouissent, omnibus maris, terræq; aditibus occupatis, dedere operam, ne litteræ Epheso perferri Constantinopolim possent. venere tamen à Concilio missæ, quibus in æde D. Mocij martyris recitatis, populus anathema Nestorio ingeminatis vocibus affirmavit. venere etiam alia ad clericum supplicationes pro boni episcopi subrogatione indicentes. quibus Dalmatius archimandrita omnium nomine gratias egit. Theodosius autem actis vtriusq; partis acceptis ad Ioannis partes se contulit, ac xiii Kal. Augusti non minus Cyrillum, & Memnonem, quàm Nestorium recte condemnatum iudicauit. atque episcopis, vt eandem quæstionem, antequam Epheso discederent, de integro tractarent, mandauit. iis litteris Ephesum perlatis Cyrillus, & Memnon in custodias dati sunt. nemo tamen cum Ioanne communionem iniuit. Ea de causa septem ab vtraq;

utraque parte episcopi legati ad Theodosium missi sunt, ut ipsum de omni re acta docerent. Cum omnes coram causam suam orassent, Theodosius veritate perspecta episcopos Orientales damnauit, ac Cyrillum, & Memnonem liberauit. atque episcopis, qui Constantinopolim conuenerant, ut alium Nestorio sufficerent, imperauit. VII Kal. Nouembris Maximianus presbyter substitutus est. qui statim Cyrillo per litteras victoriam de Nestorio partam est gratulatus. Cui Cyrillus magnæ cum lætitiæ significatione respondit. Inde permissum est singulis, ut ad suas se ciuitates referrent. Aëtio inde, Valerioque consulibus, Bonifacius Comes ex Africa Romam Placidia vocatu decessit, & magistri militum dignitatem obtinuit. 432

- 10 Mox Aëtium veterem suæ laudis obtrectatorem singulari certamine fidei suæ probandæ gratia prouocauit. commissoque Placidia permissu prælio superauit. quam ob causam Aëtius dignitate nudatus in agrum se contulit. Tertio inde post mense Bonifacius lethifero morbo tentatus, cum se morti proximum cerneret, Pelagiam uxorem, mulierem locupletem, ut Aëtio nuberet, obsecrauit. Trigetius inde, qui Bonifacio successor in Africa erat datus, Genserico omnia percurfanti pro viribus restitit. res tamen eius, ut multæ aliæ, memoratu dignissimæ, perierunt. Eodem anno Cælestinus pontifex ecclesia teterrimo dissidio liberata, ac dignitate pontificia egregie conseruata decessit. Locum eius Xystus III presbyter, cuius item Romanus, obtinuit. Cuius, ut in pace, studium omne in ornandis vrbis Ecclesiis præcipue enituit. Ioannes Antiochenus Epheso Antiochiam repetens, Nestorium secum deduxit, atque apud se in monasterio eodem, ex quo euocatus ad episcopatum fuerat, habuit, ac simulatam cum Cyrillo exercens duas inter se ecclesias Antiochenam, & Alexandrinam turpi admodum dissidio separauit. ac triennium inde variis cum eo certaminibus Anathematismos eius oppugnans exegit. Cui Cyrillus haudquaquam sui oblitus acerrime se pro Catholica veritate opposuit. Sequenti anno, quo Theodosius XIIII cum Maximo postea Imperatore gessit consulatum, nouum in Gallia bellum est ortum. Gundicarius namque rex Burgundionum priore fœdere neglecto defecit, ac finibus suis egressus in Belgicam incurfauit, atque omnia hostili tumultu repleuit. Hac re accepta, Valentinianus iam annos XV natus Aëtium aduersus eum destinauit ducem. Hic enim, cum in agro priuatus versaretur, ab inimico suo insidiis appetitus Romam se contulerat, atque inde prouectus in Dalmatiam, demum in Pannoniam, ad Hunnos confugerat, atque eorum opibus vsus, pacem principum, & ius interpolatæ potestatis receperat. Ab illo igitur, homine rei militaris eruditissimo, eodemque fortissimo Belgica Gundicarius est expulsus. vnde dixit Sidonius: Aëtius

*post Vittungos, & Norica bella subacto
Victor Vindelico Belgam Burgundio, quem trux
Prefferat, absoluit.*

- Eadem ratione Trigetius quoque in Africa nefarios sæuientis in dies magis Genserici conatus coercere contendit. Aspare inde, & Areobinda consulibus, in Gallia, & in Africa prospere ab iisdem etiam ducibus est pugnatum. nam & Aëtius Gundicarium, & Trigetius Gensericum variis præliorum contentionibus ita fatigant, ut eorum vterque verba de pace instauranda, & fœdere componendo intulerit. Augustalis autem domus haud leui laborauit infamia. Honoria enim Valentiniani soror, cum ad aulæ decus virginitatem tueri cogeret, ac libidine inflammata Attilam Hunnorum regem in Italiam ad sui connubium inuitasset, voti frustrata, libidinem cum Eugenio procuratore suo expleuit. grauidaque facta à Valentiniano Constantinopolim ad Theodosium amandata est. Theodosius inde XV, & Valentiniano IIII consulibus, Valentinianus Augustus, annum Imperij sui decimum feliciter ingressus, Romam contendit, atque ibi decennialia vota solemnium ludorum magnificentia celebrauit. ac tertium Idus Februarias pacem per Trigetium cum Genserico composuit, Numidia Hipponensi ad habitandum concessa. & Belgica bello Burgundionico liberata per Aëtium fœdus cum Gundicario renouauit. Quæ res ingenti gratulatione ab omnibus Italiae populis est excepta. Romæ vero cum esset, nouo, ac memorabili Xysti pontificis iudicio interfuit. quod falso

ab iniquis hominibus intentatum eum, quem decuit, exitum est adeptum. Bassus namque exconsul, & Marinianus Patricius ob acceptam gratiæ postulatæ repulsam infestiores effecti, crimen perdendi hominis gratia confinxerunt, eumq; apud præsentem Augustos de stupro sacratæ virgini illato insimularunt. quo crimine audito, Augusti, ac maxima pars populi ab eius se communione remouit. Quod ubi Xystus animaduertit, Deo, atque innocentia fretus, in basilicam S. Petri concessit, & astante populo per Leonem diaconum aduersarios ad probanda, quæ intulerant, crimina inuitauit. Cui populus eiusmodi iudicium Augusto, aut clero mandandum esse respondit. Itaque, cum Valentinianus senatum, Xystus clerum, ac monachos aduocassent, conuentus in basilica Heleniana, quæ Sessorium dicebatur, est habitus. cui affuere exconsules Paterius, Maximus, Anatolius, & Bassus; Patricij Marinianus, Albinus, Sigeuultes, & Honoratus. præterea præfectus vrbis Euthymius; ex præfecti Valerius, Claudius, & Fonteius; presbyteri XLVIIII, & diaconi quinque. Ibi sedentibus cum Augusto omnibus, Epiphanius presbyter manantibus lacrymis aduersarios monuit, vt accusationem peragerent, ne tam turpis infamiæ labe in Ecclesia resideret. cui Maximus exconsul, immo vero quiescant, inquit. neque enim fas est, iudicium de pontifice Romano constitui. quibus auditis Xystus subiecit: Quanquam ego eiusmodi recusare iudicium pro potestatis amplitudine possum, tamen subire placet, vt veritas ad liquidum exploretur. Tum Valentinianus ad Bassum: Explica accusationem tuam, memor, te, nisi probaueris, pontifici, atque Ecclesiæ pœnas daturum. postquam autem ille perorauit, conuersus ad Xystum, Maximi sententiam collaudauit, ita vt ei defensionis suæ aut suscipiendæ, aut prætermittendæ arbitrium se concedere dixerit. Tum Xystus, repugnante clero, defensionem suam instituit, illud præcipue in dicendo denunciens, ne exemplo suo ad dicendam causam sui aliquando successores adigerentur. atq; ita semet conflata suspicione, atq; infamia liberauit. VI inde Kalend. Septembris, cum Valentinianus, & Xystus, ceteriq; iterum Concilium iniissent, de Bassi, & Mariniani causa est disceptatum, atque ambo communi omnium consensu digni, qui communione excluderentur, existimati sunt, ita tamen vt viaticum morituris non negaretur. Valentinianus autem, & Placidia bona eorum Ecclesiæ addixerunt. Post tres inde menses Bassum mortuum Xystus omnibus pietatis officiis vsq; adeo profequutus est, vt corpus etiam eius in paternum sepulchrum inferri permiserit. Xysti inde rogatu Valentinianus Saluatoris, & apostolorum imagines aureas supra Confessionem S. Petri locauit, & fastigium argenteum in basilica Constantini, quod à barbaris fuerat ereptum, restituit, & Confessionem B. Pauli laminis argenteis incrustauit, & basilicam S. Laurentij à Xysto conditam preciosa sacrorum vasorum supellectile instruxit. Dum autem Valentinianus his in Occidente rebus intentus studet, Theodosius Constantinopoli opus vt hominum rationib. admodum aptum, sic gloriæ apud posteros ingentis futurum effecit. Iurisconsultis namque adhibitis maximam eruditionis, fidei, ac prudentiæ opinionem habentibus, negotium dedit, vt omnes principum à D. Constantini vsq; ad suum principatum constitutiones colligerent, atque, inutilibus prætermittis, in vnum corpus redigerent, breuitate, ac claritate in primis forensi studio consulentes. eum vero codicem absolutum hoc anno v Kal. Martij Constantinopoli edidit, præcipiens, ne qua post Kalendas Ianuarias controuersia ad forum deferretur, aut delata iudicaretur, nisi ex his libris, qui suo nomine insignirentur. simulq; ne qua in Occidente à Valentiniano Augusto cõstitutio lata vim legis obtineret, nisi prius ad suam notitiam peruenisset. Miscente inde inter ecclesiam Alexandrinam, atque Antiochenam seditione, idem eiusmodi dissidium auersatus Ioanni Antiocheno præcepit, vt Nestorij damnationi subscriberet, atque in gratiam cum Cyrillo rediret. atq; edictum ad Leontium præfectum vrbis III Nonas Augusti misit, vt quemadmodum Arriani lege D. Constantini ob similitudinem impietatis Porphyriani à Porphyrio nuncupati fuerant, sic Nestoriani Simoniaci vocarentur, vt cuius scelus in deserendo Deo imitati fuissent, merito eius nomine afficerentur. & ne libros Nestorij aduersus decreta Ephesina conscriptos haberi, legi, aut describi liceret. Hoc imperio compul-

compulsus Ioannes Paulum episcopum Emisenum Alexandriam misit, ac, Catholico libello oblato, Cyrillum ad redeundum secum in gratiam prouocauit. cui quam mitissime Cyrillus respondit, &, redintegrata gratia, finem omni, quæ Ecclesiam agitabat, contentioni imposuit. Ceterum, Nestorio Mariam Dei genitricem ore confitente, sed re vera adhuc furente, Theodosius litteras ad Isidorum præfectum prætorio, & sequenti anno cum Senatore consulem misit, vt Nestorium propter conceptam in se pietatem in exilium Petras expelleret, omniaq; bona eius ecclesiæ Constantinopolitanæ addiceret. atque his litteris edictum aduersus Nestorianos superscriptum adiunxit. Hæc ex Actis. in Annalibus vero scriptum est, Nestorium Oasim relegatum esse, atque inde variis iactarum casibus loca alia tenuisse. Eodem anno Theodoricus rex Gotthorum in Gallia violato fœdere alterum Romanis bellum, vix priore confecto, commouit. Quod Sidonius in Auito his versibus edidit:

*Squammeus, & rutilus etiam num liuida cristis
Ora gerens vix arma domum sordentia castris
Rettulerat, noua bella iterum, pugnamq; sub ipsis
Iam patriæ muris periturus commouet hostis.*

Itaque, finitimis locis occupatis, in Narbonensem inuectus, oppidum ipsum Narbonis provinciæ caput acri obsidione circumdedit. Quod vbi Valentinianus accepit, confestim Littorium ducem in locum Aetij cum maximis Hunnorum copiis properare iussit in Galliam. cuius aduentus maximam obsessis attulit opportunitatem. nam, cum eos rerum necessariarum angustiis premi propter summam inuehendi difficultatem cognosceret, binos tritici modios singulis equitibus datos in urbem immisit. quo beneficio in ediam leuauit ex aliqua parte, non sustulit. Itaque cum Narbonenses mox ad extrema, quæ pati obsessi soleant, incommoda deuenissent, Auitus Aruernus, qui maxima apud regem, Gotthosq; auctoritate valebat, se interposuit, ac facile regi, vt exercitum à Narbone abduceret, persuasit. Ita Narbo summis obsidionis difficultatibus est exemptus. Quod scripsit quoq; Sidonius Auitum sic alloquentem Theodoricum huius Theodorici filium faciens:

*perit quodcunque merebar
Cum genitore tuo. Narbonem tabe solutum
Ambierat, tu paruus eras, trepidantia cingens
Mœnia, in infames iam, iamq; coegerat escas.
Iam tristis propria credebat desore præda
Si clausus fortasse perit, cum nostra porbauit
Consilia, & refugo laxauit mœnia bello.*

Actio autem iterum, & Sigeuulte cōsulibus, Littorius à Gotthorum bello quietus, in Aremoricos, qui iam pridem defecerant, mouit. Quare cognita, Gotthi, contempta pace, in Aruernos se intulerunt, atq; omnia incendiis, ac direptione vastarunt. Quare res Littorium ex Aremoriciis victorem cum auxiliis Hunnorum recurrere compulit. Ita Gotthica populatio, obsidióque compressa est. Vnde idem eodem in loco dixit:

*Littorius Scythicos equites tum forte subacto
Celsus Aremorico, Geticum rapiebat in agmen
Per terras Aruerne tuas, qui proxima quæq;
Discursu, flammis, ferro, feritate, rapinis
Delebant pacis fallentes nomen inane.*

Sidonio vero Prosper assentitur. qui, his cōsulibus, aduersus Gotthos rem Hunnorum auxilio gestam notauit. In Africa Gensericus ab armis ociosus Catholicæ fidei vestigium nullum in regno suo relinquere cupiens, episcopos non solum basilicis suis, sed etiam urbibus ipsis expellere nisus est. tanta vero eorum constantia fuit, vt nemo terrificis eius minis cōcesserit. Inde Arcadium, Probum, Paschasium, & Eutyrium viros Hispanos sibi sapientiæ, ac fidelis obsequij nōmine iucundissimos, quod perfidiam Arrianam respuerent, primum proscripsit, deinde in exilium egit, postremo exquisitissimis affectos suppliciis illustri martyrio coronauit. Paulillum

vero puerum Paschafij, & Eutychie fratrem, cum ferocibus terrere verbis non potuisset, diu fustibus casum ad infamem seruitutem damnauit. ne puer regiam se immanitatem superasse posset gloriari. In Hispania Ermenericus rex Sueuorum moriens, Richilam filium successorem reliquit. Iam Valentinianus ætatis annū nonumdecimum erat natus, vt matrimonio videretur esse copulandus. Itaq; cum Eudoxiam Theodosij filiam sibi dari vxorem postulasset, facile cedenda parte Illyrici impetrauit. siquidem Cassiodorus scripsit: *Placidia nurum sibi amissione Illyrici comparauit. factaq; est coniunctio regnantis diuisio dolenda prouinciis.* atq; ea de causa Constantinopolim properauit. spōsalia magna lætitia Thessalonicae sunt celebrata. Quibus

438 perfectis sequenti anno Theodosio xvi, & Fausto consulibus in Italiam se recepit, ac licet aduersa repestata vexatus Rauennam incolumem sponsam perduxit. Hæc ille urbem quoniam pro Imperij sede habuit, omni inde munimentorum, atq; ornamentorum genere insigniuit. Nam adē D. Ioanni euangelistæ ex voto construxit, & ducta ex Pado fossa flumen ipsum deriuauit, atq; ad mœnia urbis deductum partem in urbem infudit, partem mœnibus circumfudit, ita vt non solum commercio seruiret ciuium, sed etiā firmamento murorum. Quod Sidonius his verbis prodidit: *Rauennam venimus, quo loci veterem ciuitatem, nouumq; portum media via Caesaris ambigas utrum connectat, an separet. Insuper oppidum duplex pars interluit Padi, cetera pars alluit. qui ab alueo principali molium publicarum discerptus obiectu, & per easdem deriuatis tramitibus exhaustus sic diuidua fluent a partitur, vt præbeant mœnibus circumfusa præsidium, infusa commercium.* In Gallia Littorius cum Gotthis rem prospere sepe gessit, vt Prosper notauit, sed qua in parte, annalium memoria fugit. Gotthi in Hispania aduersus Suetos progressi regem eorum Richilam prælio superarunt, ac thesaurum eripuerunt. Piratæ, qui superiore anno Vandalos in Africa deseruerant, ac passim infesta prædis habere maria cœperat, Siciliam repente adorti vastarunt. aduersus eos præfecti Imperatoris prouecti Conradim principem vnâ cum sociis eius ceperunt, captumq; interemerunt. Cōstantinopolim corpus S. Ioannis Chryostomi post diuturnum exilium à Proculo episcopo est relatum, atq; ibi cum magna ueneratione

439 v Kal. Februariæ conditum. Theodosio inde xvii, & Festo consulibus, Littorius in spem Gotthorum ex Gallia pellendorum erectus exercitum ad urbem eorum Tolosam adduxit. tantumq; Theodorico metum expugnationis iniecit, vt pacem supplex per episcopos postularit. Qua præ fiducia virium denegata summo illum prælio prouocauit, sperans, se pulsus eo certamine hostibus urbe nullo negotio potiturum. rapiebatur autem partim æmulatione gloriæ Aëtij, (nam cum secundas ab illo partes teneret, rerum illum magnitudine vincere contendebat;) partim etiam insita quadam animi temeritate; quia aruspicum responsis, & dæmonum significationibus, non Dei ope fidebat. Itaque pugna cupide magis, quàm prudenter commissa infelicem exitum habuit. siquidem, magna parte suorum amissa, ipse etiam in potestatem hostis concessit. ac captiuus, & uinctus in eam urbem ductus est, in quam se victorē, & triumphantē initurum sperauit. hostiū tamen haud incruentata victoria fuit, vt nisi captus dux fuisset, dubitandū fuerit, ab vtra parte statuta victoria fuerit. Hanc cladem ducis, ac Romanorum ob superbiam Deum immisisse contendit Saluianus Massiliensis per hoc tempus episcopus. cuius verba libet adscribere: *Cum Gotthi metuerent, nos præsumpsimus. nos in viribus spem ponere, illi in Deo. cum pax ab illis postularetur, à nobis negaretur, illi episcopos mitterent, nos repelleremus. illi etiam in alienis sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus. ita illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio. illis exaltatio data est pro humilitate, nobis pro elatione deiectio. namque agnouit hoc ille dux nostra partis, qui eandem urbem hostium, quam eodem die victorem se intraturum esse præsumpsit, captiuus intrauit. qui prædatoris habuit fiduciam præda factus est, triumphum præsumens triumphus fuit. circumdatus, arreptus, alligatus, reuoluta brachia tergo gessit. manus, quas bellicosas putabat, uinctas inspexit, puerorum, ac mulierum spectaculum fuit, illudentes sibi barbros vidit, irrisorium sexus promiscui sustinuit. & qui maximum habuerat supercilium fortis viri, mortem subiit ignaui. ipse rex hostium vsque ad diem pugna stratus cilicio preces fudit. ante bellum in oratione iacuit. ad bellum de oratione surrexit. priusquam pugnam manu*

capessē-

capesseret, supplicatione pugnavit, & in Deo fidens processit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione victoriam. Hac re gesta Theodoricus elatus, proximam inde subigere provinciam, & ad Rhodanum regni fines producere destinavit. Quo metu subacti Romani Hunnos oppidorum præsidio imposuerunt. Quod Sidonius his verbis edocuit:

capto terrarum damna patebant

*Littorio. in Rhodanum proprios producere fines
Theodoridæ fixum. nec erat pugnare necesse,
Sed migrare. Getis rapidam trux asperat iram
Victor, quod sentit Scythicum pro mænibus hostem.
Imputat, (& nihil est gravius, si forsitan unquam
Vincere contingat.) trepido.*

His rebus, ut fœdæ, ac perditæ erant, in Italiam nunciatis, Valentinianus Aëtium in Galliam iter accelerare præcepit. Eum vero ubi Gotthi accessisse senserunt, de pace instauranda agere instituerunt. Prosper eam suppliciter petitam scribit. Auitus, qui superiorem transfegerat, hanc quoque confecit, litteris ad regem, cui iunctus erat amicitia, missis. quod item Sidonius his verbis significavit:

postquam undiq; nullum

*Præsidium, ducibusq; tuis nil Roma relictum est,
Fœdus Auite novas. sævum tua pagina regem
Lectæ domat.*

Auitum autem ipsum tum præfectum prætorio Galliarum fuisse innuit, cum addit, eum intemerata iura rexisse. Hunc exitum Theodorici bella in Gallia habuerunt. In locum inde Littorij Albinus præfectus prætorio missus aduenit. verum pro amplitudine dignitatis statim perniciose reip. contentione certare cum Aëtio cœpit, cum uterque rem Gallicam tractare pro arbitrio vellet. quorum discordia ne remp. in discrimen adduceret, Xystus pontifex Leonem diaconum, eum, qui post pontificatum accepit, virum summæ virtutis, atque auctoritatis, misit, ut eos inter se reconciliaret. Eodem anno in Africa novum bellum exarsit. Gensericus enim occupatis oppidis non contentus animum ad Carthaginem provinciæ caput adiecit, ac, necessariis rebus præparatis, occupatum aliis curis Imperatorem cernens, & Carthaginem infirmis, ut in pace, teneri præsidiis videns, ipsam statim sibi oppugnandam suscepit. Hæc vrbs, ut inquit Saluianus, Romanis artibus semper æmula, armis quondam, & fortitudine, post splendore, & dignitate vrbi Romæ maxime aduersaria, & in Africa quasi Roma, vniuersam penitus, qua totus mundus regebatur, in se complexa erat disciplinam. illic enim omnia publicorum officiorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ. cuncta denique vel linguarum gymnasia, vel morum. illic copiæ militares, & regentes militiam potentes. illic honor proconsularis, illic quotidianus iudex, & rector, nomine quidem proconsul, sed opibus consul. illic omnes rerum dispensatores, & differentes inter se tam gradu, quam vocabuli dignitate omnium platearum, & compitorum procuratores, cuncta ferme & loca vrbs, & membra populi gubernantes. Hanc igitur omnibus viribus Gensericus tentavit, ratus, se, vrbe ea, quæ princeps provinciæ esset, in ditionem adducta, facile inde tota Africa potiturum. Cum autem mœnia assidue à barbaris quaterentur, tamen, ut idem inquit, ecclesia Carthaginis insaniebat in Circis, luxuriabat in theatris. alij foris iugulabantur, alij intus fornicabantur. pars plebis erat foris captiua hominum, pars intus captiua vitiorum. Satis constat, vrbem Gensericum cepisse. Qua vero ratione capta sit, quæ ad nos peruenerunt, historiæ non loquuntur. quod in vrbe tantæ amplitudinis, & quæ amissa secum totius Africæ amissionem adduxit, est deplorandum. Quod scribit Prosper, Gensericus x i i i Kal. Nouembris vrbem dolo pacis iniuit. ut Vandalus eadem arte cepisse Carthaginem videatur, qua Gotthus paucis antè annis Romam in ditionem adduxit. Ceterum vrbe opulentissima, maximaq; potitus, primum antiquam illam ingenuam, ac nobilem libertatem ad seruitutem redegit, captiuis plerisque senatorum effectis. deinde edictum proposuit, ut omnes quidquid auri,

argenti, gemmarum, vestiumque preciosarum haberent, expromerent. quo pacto paternas, auitasque omnium opes exhaustit. Tempora porro sacris vasibus exinanita, & sacerdotum administratione priuata suis non ad diuinum, sed ad humanum cultum indulgit. exactoque Catholico episcopo ecclesiam Arriano attribuit, cum in vniuersum populum saeuus, tum maxime nobilitati, & religioni infensus. ut diiudicari non posset, hominibus ne, an Deo bellum acerbius intulisset. in prouinciis porro suis episcopos, ac senatores exilio, aut seruitute affecit. maximam clericorum turbam cum in naues veteres, ac fatifcentes imposuisset, certo periculo tempestatis obiecit. qui tamen Dei ope incolumes in Campaniam peruenerunt. Hæc fere Prosper, & Victor. In Gallia vero cum Ebredunensem episcopum duo tantum episcopi sine metropolitani auctoritate, legibus repugnantibus, consecrassent, res animaduersione digna est visa, ac, conuentu Regij in Narbonensi prouincia acto, aliquot super ea re canones constituti sunt. idque Regiense Concilium appellatum.

440 Sequitur inde annus post Christum natum quadringentesimus quadragesimus, Valentiniano v, Anatolioque consulibus. Eo anno xv Kal. Aprilis Xystus Romæ episcopus naturæ concessit. vacauit sedes dies amplius quadraginta. Nam clerus, populusque Leonem diaconum ex Gallia, unde legatione missa reuocatus fuerat, sibi statuit expectandum. eumque, ut qui prudentia, & eruditione omnibus antecederet, ubi, reconciliata inter Aëtium, atque Albinum gratia, rediit, magno consensu pontificem declarauit. Cuius pontificatus omnibus sanctitatis, ac sapientiae 20
 florens exemplis in maximis, quæ consequuta sunt, ecclesiae, ac reip. calamitatibus eximia utilis fuit. In Hispania rex Sueuorum Richila finibus suis egressus, inuasit Bæticam, & ex Tarraconensi Gotthis ademit Carthaginem. Gensericus autem in Africa, Carthagine capta, superbus longius inde profundam habendi cupiditatem prouexit. atque in Siciliam cum classe transgressus, omnia, in quæ incidit, vastare more Vandalico institit. Quare percepta, Valentinianus Sebastianum ex Hispania in Africam iussit traicere, ut si nihil aliud, saltem Gensericum ex Sicilia ad Africæ defensionem retraheret. neque irritum eius consilium fuit. Gensericus tamen in Africam regressus, cum Sebastianum amici magis, quam hostis, partes agentem videret, ipsum per fraudem occidit. Etenim, presentibus multis, ut inquit Victor, episcopis, ac familiaribus suis, Sebastiane, inquit, scio te mihi fidelem esse, sed, ut perpetua hæc inter nos sit amicitia, ut eadem mecum religione te obliges, oro. Cui Sebastianus respondit, Fac ut panis afferatur. eo vero prolato, Quemadmodum panis hic, inquit, ut ad tantum honorem ascenderet, aquæ, & ignis beneficio consequutus est, sic ego aqua sancti baptismatis, & igne Spiritus sancti ad decus hominis Christiani perueni. Quod si effeceris, ut panis hic contritus, iterumque mollitus, atque recoctus melior euadat, tum ipse faciam, quod hortaris. Quo Gensericus responso confusus, vocem nullam emisit, ac postea, excogitato alius generis argumento, hominem rei militaris peritissimum sustulit. His rebus cognitis, Theodosius haud sibi diutius cunctandum esse statuit, quin arma aduersus Vandalos caperet, siue ut Valentiniano genero laboranti succurreret, siue ut serpens incendium longe à finibus suis auerteret. Itaque, expedito belli consilio, classem nauium sexaginta instruxit, ac rei summa tribus ducibus Areobindæ, Germano, & Anaxillæ commissa eos omni ope Africam inuadere, ac Gensericum petere imperauit. Hi, Cyro consule, postero anno in Siciliam prouecti maiorem ibi temporis 40
 partem ad rem gerendam idonei consumpserunt. in Africam inde delati plus terroris, quam cladis, hostibus intulerunt. ita conatu irrito Sicilia repetita. Gensericus tamen arma Theodosij veritus, legatos ad eum dedere misit.